

C A V I T Q V E A L T A R E. Iterum celebratur pietas & zelus Abrami. Vbiq; studet religionem plantare, & purum Dei cultum propagare inter Ethnicos. Nec dubium, Mamre & duos eius fratres ab eo de Deo recte institutos fuisse: alioqui vix amici fuissent. Sic Deus tūc etiam Ecclesiolum collegit inter gentes. Porro Hebron quereto Mamre vicina vetustissima ciuitas dicitur ædificata se-

A ptem annos ante Tanim Ægypti Num. 13.23. hoc est, vt quidam volunt, ante diluvium: prius dicta Kiriat-Arba: hoc est, ciuitas quadrina siue quadripertita: nā **אַרְבָּעָה** quatuor sonat: vel ciuitas Arba, qui fuit vnum ex Enakim Ios. 14. 15. Cessit in divisione Calebo: Sedes regni Dauidis per septennium in tribu Iuda 2 Sam.

5. 5.

C A P I T I S D E C I M I Q V A R T I

Argumentum, & Partitio.

Historia belli quinq; regum orientalium contra quatuor regulos Pentapolis describitur hoc capite à Mose. Primum propter Sodomæ eorumq; vicinos, homines illos malos & peccatores (vt dicebantur c. 13.13.) qui hoc bello petiti ac fusi fugati que scelerum suorum iustas luerunt pœnas. Deinde propter Lotum, qui belli periculo implicatus & captiuus abductus similiter πλεονεξιας & imprudentia sua culpam luit, quod illectus terra pinguedine cum sceleratis habitare delegerat. Terzio: propter Abramum, cuius tum οιλοσφυρα in liberando nepote, tum præclara virtus & fortitudo in persecundis ac debellandis hostibus victoribus eluxit. Denique propter Melchisedecum, qui inter principios regni & sacerdotii Christi typos alibi in scriptura celebratur.

Patres sunt tres.

I. De bello Sodomitico eiusque occasione, euentu, & captiuitate Loti ac direptione facultatum eius: usque ad ver. 13.

II. De Abrami expeditione pro liberatione Loti: & præclara victoria: usque ad ver. 18.

III. De gratitudine regis Sodomorum, & Melchisedeci regis Salem erga victorem Abramum, deg; magnanimitate, & αὐταρκείᾳ Abrami, recusantis spolia oblata.

P R I M A P A R S C A P I T I S

Bellum Sodomiticum.

- 1 Fuit autem temporibus Amraphel regis Sinear, Arioch regis Ellasar, Cedor-Lahomer regis E-lam, & Thideal regis gentium.
- 2 Fecerunt isti bellum contra Bera regem Sedom, & contra Birsa regem Gomora-Schinea regem Adama, & Schember regem Zeboim, & regem Bela: ipsa iam est Zoar.
- 3 Omnes isti sociauerunt se iuxerunt copias in valle Siddim, quæ iam est mare salsum.
- 4 Duodecim annos seruierant Cedar-lahomer, decimotertio vero anno rebellabant.
- 5 Quarto decimo igitur anno veniens Cedor-lahomer, & reges qui cum eo erant, percusserunt q; Rephaim in Asteroth-Karnaim. & Zuzim in Ham, & Emim in Schaua-Kirithaim.
- 6 Et Choræos in monte Seir, usque in planiciem Paran quæ est iuxta desertum.
- 7 Et reuersi sunt, ac venerunt ad En-Mispat: ipsa iam est Cades: & percusserunt uniuersum agrum, qui nunc est Amalekitarum, atque etiam Emoreum habitantem in Chazazon-Thamar.

8 Itaque